

gressae, moderatae taxae subijciantur, Domino Confiniorum Regni Commissario committitur. De Officialibus vero citra assignationem ejusdem Domini Commissarii ligna quercina dessecantibus, ubi idem in specifico quempiam Domino Confiniorum Brigaderio detulerit, condignam impendendam esse satisfactionem Sua Excellentia Banalis gratiose declarare dignata est.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1766. MENSE SEPTEMBRI. VARASDINI.

Articuli Generalis, A. 1766. 15. et sequentibus Mensis Septembris diebus, Varasдини, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comititis, Domini Francisci de Nadasd Perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Generalis Campi Mareschalli, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii et Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius similiter Equestris Croaticarum Colonelli, Comitatum Commaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comititis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 15. et sequentibus Mensis Septembris Anni 1766 diebus,, Varasдини, celebrata Congregatione conclusi.

Articulus Primus.

Ratio Protestationis per Fiscum Regni contra ordinatam per Excelsam Cameram Poseniensem terreni Civitatis Varasdinensis Geometricam dimensionem et Conscriptionem interpositae coram Sua Majestate Sacratissima justificanda disponitur.

Occasione publicationis Benigni Regij de 13. evoluti mensis emanati Mandati, quo mediante penes reprobationem facti Fisci Regni contra dimensionem et Conscriptionem terreni Civitatis Varasdinensis, ex dispositione Excelsae Camerae Poseniensis per ejusdem Geometram attentatam, protestantis, Benigne disponitur, ut nullum per amplius in ordine ad exactam Benignae Regiae eatenus ordinationis effectuationem seu per Fiscum Regni seu quemcunque alium impedimentum ponatur, ex eo, quod haec Benigna ordinatio eo unice directa habeatur, ut antiquum onus, quod hactenus nulla habita fundorum Civilium aequali proportionem pro lubitu Magistratus Civici domibus dumtaxat Civium impositum fuerat, observata justa proportionem aequaliter partiatur, sicque unice commodum emolumen-